



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput IV. Quod multa bona præstantur devote communicantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

nis ornatus eorum: quoniam quid-
quid laudis habent ac decoris, ex
dignatione tuæ est largitatis, nec
ad decorem tui pervenient nominis,
cujus sapientiæ non est numerus.

CAPUT IV.

*Quod multa bona præstantur devotis
communicantibus.*

VOX DISCIPULI.

I. Domine Deus meus, præveni
servum tuum in benedictio-
nibus dulcedinis tuæ, ut ad tuum
magnificum Sacramentum digne ac
devote merear accedere.

Excita cor meum in te, & a gra-
vi torpore exue me. Visita me in
salutari tuo ad gustandum in spiri-
tu suavitatem tuam, quæ in hoc Sa-
cramento, tamquam in fonte, ple-
narie latet.

Illumina quoque oculos meos, ad
intuendum tantum mysterium: ad
credendum illud indubitata fide me
roborata.

Est enim operatio tua non humana potentia: tua sacra institutio non hominis adinventio.

Non enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quæ Angelicam etiam subtilitatem transcendunt.

Quid ergo ego peccator indignus, terra & cinis, de tam alto Sacramento potero investigare & capere?

2. Domine, in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, & in tua iussione, ad te cum spe ac reverentia accedo: & vere credo, quia tu præsens es hic in Sacramento, Deus & homo.

Vis ergo, ut te suscipiam, & me ipsum tibi in charitate uniam.

Unde tuam precor clementiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, ut totus in te liquefiam, & amore perfluam, atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam.

Est

Est enim hoc altissimum & dignissimum Sacramentum salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris: in quo vitia mea curantur, passiones frænantur, tentationes vincuntur, & minuuntur: gratia major infunditur: virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas ignescit ac dilatatur.

3. Multa namque bona largitus es, & adhuc sæpius largiris in Sacramento dilectis tuis, devote communicantibus Deus meus, susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, totius dator consolationis internæ.

Nam multam ipsis consolationem adversus variam tribulationem infundis, & de imo dejectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis, atque nova quadam gratia eos intus recreas & illustras: ut qui anxii primum, & sine affectione se ante Communionem senserant; postea
refecti

refecti cibo potuque cœlesti, in melius se mutatos inveniant.

Quod idcirco cum Electis tuis ita dispensanter agis, ut veraciter agnoscant, & patenter experiantur, quam nihil ex semetipsis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ ex te consequanter.

Quia ex semetipsis frigidi, duri, & indevoti: ex te autem ferventes, alacres, & devoti esse merentur.

Quis enim ad fontem suavitatis humiliter accedens, non modicum suavitatis inde reportat?

Aut quis juxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percipit?

Et tu fons es semper plenus & superabundans, ignis jugiter ardens & numquam deficiens.

4. Unde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec usque ad satietatem potare, apponam tamen os meum ad foramen cœlestis fistulæ: ut saltem modicam inde guttulam

tulam capiam ad refocillandam fitim meam, & non penitus exarescam.

Et si necdum totus coelestis & tam ignitus, ut Cherubin & Seraphim esse possim: conabor tamen devotioni insistere, & cor meum præparare, ut vel modicam Divini incendii flammam, ex humili sumptione vivifici Sacramenti conquiram.

Quidquid autem mihi deest, Jesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

5. Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor & premor: & non est, qui liberet, & salvum faciat, nisi tu Domine Deus salvator meus: cui committo me et omnia mea, ut me custodias,

studias
nam.

Sute
nomin
sangu
parasti
Præ
meus,
rii tui
tionis

De di.

i. Si

ctitate
crame

Non
minur
ctet C
in cib

Gra

studias, et perducas in vitam æternam.

Suscipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui corpus tuum & sanguinem in cibum & potum mihi parasti.

Præsta Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii tui crescat meæ salutis, & devotionis affectus.

CAPUT V.

De dignitate Sacramenti, & statu Sacerdotali.

VOX DILECTI.

I. Si haberes Angelicam puritatem, & sancti Joannis Baptistæ sanctitatem: non esses dignus hoc Sacramentum accipere, nec tractare.

Non enim hoc debetur meritis hominum, quod homo consecret & tractet Christi Sacramentum, ut sumat in cibum panem Angelorum.

Grande mysterium, & magna dignitas